



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 1. Probatur ex precibus Ecclesiae, paenitentiae gratiam non sic omnibus  
adesse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

P E C C A T O R I S 5

nos ipsi ac mutuo ut illi consentiamus , hortemur. Imo hanc fidem corrigamus, nè dum juxta eam ex parte Dei totum quod necessarium est , unde pæniteamus, jam ultro oblatum credimus , pigri sumus , ac nobis necessum non putemus cum Ecclesia petere , ab ipso *ad veram pænitentiam perducì*. Agnoscamus has Ecclesiæ preces nec frustra , nec superfluè Deo impendi , ac per hoc veræ pænitiæ ac conversionis donum , non sic omnibus offerri , ut non opus sit nostro labore , nostroque conatu illud à Deo impetrare; & per hoc debiti hujus laboris atque orationis defectu justè posse non dari.

§. I.

*Probatur ex precibus Ecclesiæ , pænitiæ gratiam non sic omnibus adesse.*

**H**inc illa est piæ Matris Ecclesiæ sollicitudo , quæ sicut omnium salutis cupida est , ita quoque pro omnium conversione apud Deum intercedit. Præcipuè istud in Parasceve exequitur ; notæ sunt preces ejus, quas tunc per Sacerdotes & populum illis consentientem, ad Deum emittit : Breviter eas à duodecim sæculis complexus est Romanus Pontifex

## 6.      C O N V E R S I O

*Epistola ad  
Episc. Gall.  
cap. 11*

Cælestinus: Cum enim, inquit, sanctarum plebium Præsules mandata sibi met legatione fungantur apud divinam Clementiam, humani generis agunt causam, & totâ secum Ecclesiâ congemiscente, postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides; ut Idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus; ut Judæis ablati cordis velamine lux veritatis appareat; ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant; ut schismatici spiritum redivæ charitatis accipiant; ut lapsis penitentia remedia conferantur; ut denique catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis cælestis misericordiæ Aula referetur. Hæc autem non persuntoriè neque inaniter peti rerum ipsarum monstrat effectus, quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in Regnum Filii charitatis suæ, & ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ.

*Lib. 1. de  
voc. Gent.  
cap. 12.*

Hæc erat, uti hodie, ita & illo tempore, uti ejus est testis S. Prosper, omnium ubique Ecclesiarum, communis supplicatio; quam ideò dicit hic Pontifex non inaniter adhiberi, quia ex omni peccatorum genere plurimi convertuntur: ac per hoc non credit istam pænitentiæ gratiam jam ante ultro omnibus adfuisse oblatam, ut illi dumtaxat esset consentiendum, sed potiùs his qui convertuntur

tur

PECCATORIS. 7

tur & pænitent, istis Ecclesiæ precibus à Deo obtineri. Coëterùm ducentis plus minus annis Cælestinum præcesserat Romanus Clerus, qui simili sollicitudine pænitentiae ac conversionis donum lapsis peccatoribus judicabat esse petendum. Etenim rescribens S. Cypriano: *Oremus, ajunt, pro lapsis ut erigantur; oremus pro stantibus, ut non ad ruinas usque tententur; oremus ut qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam neque præproperam desiderare medicinam; oremus ut effectus indulgentiæ lapsorum subsequatur & pænitentiam.* Istam pænitentiae gratiam quam sic sollicitè peccatoribus volebant peti, similiter non credebant illis omnibus ultro offerri ut illi dumtaxat esset consentiendum: alioquin jam non ut detur adhuc foret orandum, sed illi dumtaxat ut ultro oblatae consentirent, monendi.

*Epist. 31.  
inter Epist.  
Cypriani.*

§. II.

*Dum Pænitentiae gratia debitè consideratur, satis patet quod non omnibus detur ad sensum Authoris Appendicis.*

**D** Enique hæc res difficultatem non patitur, dum pænitentiae gratiam, sicut intelligenda est, intelligimus. Hæc

A 4

enim